

Aus d. Gründung. Aus-lin

Nr. 59. 1.

SATISFACTIONEM
MESSIAE

PIIS TANTVM EIVS CVLTORIBVS
SALVTAREM

E PSALM. XVI, v. 2-4.

EVINCIT

ET SIMVL

AD ORATIONEM AVSPICALEM
EA QVA PAR EST

OBSERVANTIA ATQVE HUMANITATE

INVITAT

FRIDERICVS SAMVEL ZICKLER
THEOL. DOCT. ET PROF. PVBL. ORD.

ERLANGAE

TYPIS IOANNIS DIETERICI MICHAELIS CAMERARII
ACADEM. TYPOGR,

E. 1.

SATISAGION
MESSIAE
PASTORALIS
SAFATRUM
P. P. MIN. T.
AD ORATIONEM APLICIEN
KIDERICAE SAVAGE SECRETI
THEOI. POET. ET LITER. TAVRI. O.
KIDERICAE
KIDERICAE
KIDERICAE



§. I.



apientissimi numinis cura atque prouidentia, quo magis iis, quae ad Messiam attinent, reuelandis inuigilauit; eo luculentius ista praesertim fidei nostrae momenta, quae de praefita ipsius satisfactione, huius fructibus atque salute nobis ab ipso parta agunt, per viros Θεοπνέους in veteri iam oeconomia exhibuit. Testis est omni exceptione maior Dauides, regia fulgens maiestate, poeta diuinus, in excellen-tissimis ictis, quae in usum coetus sacri concinnauit, cantis. Quemadmodum enim omnem in iis de Messia, tunc temporis futuro, doctrinam deprehendimus; ita pars magna eorum redemptoris perpetuationem, huiusque salutares fructus et effectus, viuis quasi depingit coloribus. Inter ista ynum profecto est e praecipuis eximium illud, quod cantico decimo sexto, ab ipso auctore sacro aurei nomine insignito, habetur oraculum. Tot enim et tanta in isto deprehendimus rerum pondera, ut grauissima religionis nostrae capita exinde facilime hauriri possint. Partem itaque illius iam recensere et illustrare constituimus.

§. II.

Ea est diuinorum, quae in codice sacro deprehenduntur, oraculorum indoles atque natura, ut in iis interpretandis vera eorum hypothesis et subiectum, de quo

A 2

agant,

agant, antea rite constituenda sint, quam reliqua feliciter
expediri possint, quum ipsis ignoratis, si qua datur ex-
positio, maximopere saepius scopo euadat aduersa et lu-
brico nitatur fundamento. Hoc ipsum itaque in cantico
nostro praecipue notandum est. Exhibit psalmes perso-
nam quandam cum Deo, supremo rerum moderatore,
de rebus grauissimis colloquentem. Sed quae illa sit, de
eo non constat inter omnes. Iudeorum quidem magistri,
e quibus R. SALOM. IARCHI a) R. ABEN ESRA b) at-
que R. D. KIM CHI c) producere liceat, Dauidem, can-
tici auctorem secundarium, de se ipso in isto loqui, adfir-
mare non dubitant. Sed plura occurunt sententiae
huic prorsus contraria. *Sanctum Iehouae* se nominat, qui
loquens inducitur, seque *corruptionem non esse visurum*, sed
post suam e mortuis resurrectionem ad dextram Dei eue-
ctum, vita gaudiisque aeternis beatum iri, commatibus de-
cimo et vndecimo profitetur. Quae omnia de Dauide
neutiquam valent. Tantum enim abest, vt sancti nomen
sibi vñquam vindicauerit, vt vbiuis fere, peccatorum suo-
rum memor, eorum remissionem a Deo precatus sit.
Itum porro corruptionis post mortem non expertem suis-
fe, nec ipsi Iudei negabunt. Ad dextam autem Dei
evectione, quum admissionem in communionem regiminis
diuini includat d); quis hanc de Dauide perhibeat? Mi-
rum inde, qui fieri potuerit, vt GROTIUS e) CALVI-
NVS, f) MÜNSTERVS, g) CLARIVS, h) aliquie Calvianorum
familiae praecipue addicti, in hac quoque parte Iudeos

sequi

a) commentar. in psalm. qui in
bibl. Buxtorfi tom. II. deprehen-
ditur.

b) commentar. in h. I. apud
Buxtorfium.

c) commentar. in h. I.
d) vid. pf. CX, *


e) commentar. in psalm. qui

Calouii bibl. illustr. tom. I. p. 961.
insertus legitur.

f) commentar. in libr. psalmor.
in h. I. p. 58. seqq.

g) annotatt. ad pf. vid. biblior.
criticor. tom. II. col. 1186.

h) in nott. ad psalm. quae I. c.
reperiuntur.



sequi totumque psalmum principaliter ad Dauidem, et deinde ad reliqua ecclesiae membra vel etiam ad Christum, quatenus rex iste horum typum gessit, accommodare suscepint; quum plura, quae legimus praedicata, rei huic plane aduersentur. Factum quoque est inde, ut, dum genuinum plerorumque commatum sensum plane peruerunt, ea, quam exhibent, expositio contorta haud raro adpareat, ad istam modo, quam fingunt, hypothesin stabiliendam. Vnum modo e pluribus producamus. Comma undecimum exponens GROTIUS scribit: *sensus historicus* (*latet enim mysticus sublimior, ut in plerisque psalmis*) est hic: *quamquam undique opprimor a Saule, tamen certus sum ex promissione regni mihi facta, non fore ei potestatem me interficiendi.* Quam longe haec a verborum simplicitate et auctoris scopo recepcionib; quilibet, rem accuratius penitus, facile perspicet. Duplicem sensum, litteralem et mysticum, fingere cogitur commentator, quum posterioris tamen ne minima neque in textu neque in aliis scripturae locis existent vestigia. Sed mos est iste viri pleraque de Christo vaticinia peruertentis et eneruantis.

§. III.

Haec ipsa incommoda perspicientes nonnulli, alia ratione rem enodare instituerunt, perhibentes, Dauidem orare in persona sua, sed in fine adsurgere. ad Christum, ut ita duplex detur psalmi subiectum, in parte priori Dauid, Messias in ultima. Fauent huic sententiae MOLLERVS i) atque GVILIELMVS AMESIVS k) nec non VATABLVS l), ex ea potissimum ratione dueti, quod quae-dam in cantico hoc occurrant, quae Christo tribui nequeant, cuiusmodi bonum sit, quod ad sanctos modo specta-

A 3

re

i) praelect. in psalm. p. IIII.
seqq.

l) commentar. in h. I. qui ex-
stat in bibl. critic. tom. II, col-
1186. seq.

k) lection. in psalm. p. 87.

le perhibeatur v. 3. quum tamen saluatoris meritum uniuersale sit, illiusque fructus et effectus ad omnes omnino homines pertineant; quo et referenda sit renum castigatio v. 7. memorata. Verum enim vero unum idemque esse psalmi subiectum eandemque personam loquentem, omnis sermonis series, sententiarum cohaerentia textus que συνάφεια, constructionis similitudo et deficiens profus subiecti mutati indicium abunde docent. Quae in toto sermone ubiuis de loquente adhibentur primae personae verba id ipsum confirmant. Neque oblitant, quae in medium produeta sunt, effata, quum optime de saluatore nostro valeant. Eorum enim, quae merito suo conciliavit, bonorum licet totum genus humanus participes fieri possit; sancti tamen, quod ex aliis effatis fatis constat, ea modo consequuntur, idque commate tertio psaltes indicare voluit. Renum autem castigatio nonnisi sanctum notat adfectum animique propensionem, quibus ista, quae in psalmo precatur, persona ad laudes Dei compellebatur. Propius quidem scopum feriunt, qui in coetus sacri persona vatem psalmum hunc composuisse existimant, ita ut, quae in ipso occurrunt, non capiti modo, verum et omnibus istius membris competant. Sequitur hanc interpretandi rationem, praeter alios, a VGVSTINVSM dum: haec oratio, inquit, est personae domini tribuenda, adiuncta ecclesia, quae corpus eius est. Neque multum recedit ANDR. RIVETVS n^o) scribens: dicemus ergo, Dauidem in persona totius corporis mystici (Christi et ecclesiae) orare et gratias agere; aliquando capitis et membrorum simul. Sed nec haec opinio omnibus numeris videtur absoluta, quum una eademque in toto cantico loquatur persona et non minimum mutatae indicium adsit, eaque v. 3. luculenter, a sanctis se distinguat,

m) enarrat, in psalm. opp., tom. VIII. p. 63, edit. Baſil.
n) opp. tom. II. p. 41.

distinguat, qui tamen ipsum coetum dei sacrum conficiunt, et ista, quae in pluribus commatibus, praecipue autem v. IO. et II. leguntur, nulli istius membro compete-re possint.

§. IV.

Ab his, quae haetenus recensitae sunt, hypothesisibus ad eam tandem nos conuertimus sententiam, quae totius cantici subiectum, idque vnicum, Messiam, generis humani redemptorem, constituit, quam ipsam, praeter ATHANASIVM o), HIERONYMVM p), aliquorumque patrum haud paucos, recentiorum interpretatione plurimi sentantur, e quibus PAR-EV M q), ALTINGIV M r), CORDERIV M s), COCEIV M t), LUTHERIV M v), BRENTIV M x), BVGENHAGVM, y) TARNO-VIVM z), GEIERV M a), SER. SCHMIDIV M b), CALOVIVM c), CRAMERIV M d), IO. PISCATORE M e), atque ALETHABVM f), IO. HENR. MICHAELIS g), IO. DAV. MICHAELIS t), VARENIVM h), SAL. VAN TIL i), IO. MARCKIV M k), nominare sufficiat. Eorum tamen maxima pars quum id, quod erat praecipuum, clariore luce colluстрare negligat, quibus euincere possit,

argu-

o) vid. CORDERII biblioth. par-

c) bibl. illustrator. tom. I. p. 961.

trum Graecorum T. I. p. 273.

d) Schol. prophetic. clasi. I. ex-

p) in breuiar. in psalm. tom. II.

placat. VI. p. 66.

opp. p. 151.

e) commentator. in S. S. tom. III.

q) in Caluin. orthodox. p. 208.

p. 131.

r) Opp. tom. II. p. 329. seqq.

f) in den Erlaeterungen des

s) annotat. catenae patr. Graec.

dunkeln Oerter heil. Schrift. P. VII.

subiectis tom. I. p. 279.

p. 270.

t) Commentar. in h. l.

g) nott. vber. ad hagiograph.

v) commentar. in h. pf.

in h. I.

x) commentar. in h. pf.

f) in collegio critic. in h. psalm.

y) commentar. in h. l.

p. 1. seqq.

z) in psalmis passionalibus p. 43.

h) in triumpho Dauidis ad h. l.

a) commentator. in psalm. p. 205.

i) commentator. in psalm. ad h. l.

b) in resolution. psalmor. pro-

k) in exercitatt. bibl. p. 392.

phetico. de Christo p. 37.

seqq.

argumenta strictim recensere, haud abs re fore putamus. Tot tamque luculenta in psalmo non modo verum etiam in aliis scripturae locis diuina sapientia rei huius exstare voluit monumenta, ut dubium nullum superesse possit. Omnia fere praedicata recta via nos ducunt ad sponforem nostrum. Bonum suum sanctis, qui in terra sunt, hominibus prodeesse, quae loquens fistitur persona adfirmat v. 3. eoque, qui alium sectantur, suosmet multiplicare dolores, perhibet commate quarto. Quem alium deo sacratum, a sanctis huius orbis diuersum, interque ipsos verantem (v. 7. 10.) praeter *των ου* nostrum hic cogitare licet, quum in ipso uno salus sit, eiusque meritum iis modo, qui a peccatorum grege separati sunt, salutare euadat? Dum porro eandem istam personam *santi Iehouae* nomine se adpellare v. 10. reperimus, illud ipsum absolute positum, Messiae, sancti Israelis, epitheton esse, haud infrequens scripturae usus confirmat. Sed haec non sufficient. Quae in eodem pariter atque sequenti commate de corruptione post mortem non videnda et ad dextram dei exaltatione occurunt, vnicce de Christo, tertio post suum et viuis discessum die resuscitato, et gloria ipsius ascensione peracta in communionem regni diuini recepto, valent, quum prius eundem et communis prorsus hominum sorte eximat, et posterius deo tantum vero competit. Omne vero dubium ut tollatur, ipsa diuina prouidentia testes huius rei locupletissimos in nouo foedere extare voluit, Petrum scilicet et Paullum, *δος πνευματικος* illos apostolos, quorum prior comma psalmi octauum excitans, Dauidem in ipso de Christo, *ſ. ἐις αὐτὸν* in ipsum quasi transformatum, eiusque personam induentem loqui perhibet a); posterior autem comma undecimum de Iesu mortui resurrectione exponit, illudque de Dauide non valere ex ea potissimum ratione demonstrat, quod corpus ipius

a) Astor. II. 25.

ipius post mortem computruit; b) quod ipsum quoque Petrus alibi comprobat. Quis quaeso, his rite perpenfis, negare fustineat, psalmum hunc integrum esse de Messia propheticum, quum vbius in ipso idem subiectum et eandem, quae Deum alloquitur, personam deprehendamus?

§. V.

His rite constitutis, facilius erit, aptam integri sermonis cohaerentiam, sapientem eiusdem ordinem, rerum, quae proponuntur, nexus et iustum illorum perspicere dispositionem, eoque ipso in ista, quam produximus, sententia insigniter confirmari, quum omnia cantici effata hac ratione facilius fluant, et multo maior lux affundi possit. Quemadmodum enim vates diuinus totus in eo est, ut sinceros sui temporis dei cultores omnesque saeculorum, etiam sero venturorum, homines de susceppta sospitatoris sponsione, praestita ab ipso in hoc salutis negotio satisfactione, et iis, quae ipsis subeundae erant, perpetrationibus, morte violenta pariter ac hanc insequuta exaltatione prorsus gloriofa erudiat, atque fidem istorum excitet ac confirmet: ita nullum eorum, quae scopo suo inferuire poterant, ipsum omittere, facile deprehendimus. Diuino enim spiritu excitatus illa noui foederis tempora, quibus sponsor in hoc terrarum orbe inter homines versaturus sit, contemplans, ad istud praesertim venit eorum momentum, quo in eo erat, ut ille grauissimum redemptionis nostrae negotium perficeret. Perspicit ibi σωτῆρα suum ad Deum patrem preces deuotas fundentem, ut eum in ipsis, quae ipsis subeunda sint, malis seruare, suoque praefidio et auxilio tegere velit. Has ipsis preces dum carmine hoc complectitur rex poëta, Messiam in isto non suam modo petitionem proponere vix, sed sapienter quoque illi rationes mouentes subiungere, B. animaduer-

b) Astor. XIII. 35. 36. 37. coll. c. II. 27. 31.

animaduertimus. Priorem illarum a sua in deum fiducia arcessit, eoque relationem, quae inter ipsum et patrem suum intercedat, exponit v. 1. Subiungit huic alteram, qua se in fidem et potestatem supremi rerum moderatoris tradere, e testimonio animae suae egregie confirmat v. 2. parte priore. Quibus absolutis pergit ad tertiam, qua fructus exhibet atque effectus ex ipsis, quibus expositus sit, malis oriundos. Hos ipsos exponens, quae sit eorum ad deum istum, quem adloquitur, relatio demonstrat v. 2. A deo peruenit ad homines et inter hos sanctos modo istorum aetu participes fieri v. 3., impios vero, ipsum saluatorem respuentes, iacturam illorum in sui perniciem facere, exponit v. 4. Quo facto, solatio se erigens, quanta ad ipsum e suscepito hoc redemtionis munere commoda redundent, manifestat, dum ostendit, Deum ipsius fore portionem v. 5. ipsumque pulchram in pluribus nominis sui confessoribus haereditatem esse consequuturum v. 6. His dilucidatis ad quartum progreditur precationis suae argumentum, a laudibus, quibus Deum, fortissimum adiutorem, celebraturus sit, desumtum v. 7. Huic quintum denique subneicit, spem nempe atque fiduciam de gloriose perfectionum suarum exitu. Istius itaque fundamento exposito v. 8. et ipsa exaltatione descripta v. 9. fortunatum hunc delineat eventum, quo futurum sit, ut suum in sepulchro corpus secure habitet v. 9. in morte tamen ipse saluator non perseueret, neque corruptionem videat v. 10. adeo ut, resuscitatus ad dextram Dei, exaltetur, gaudiis coronatus aeternum duraturis v. 10.

§. VI.

Istis, quae haec tenus disputata sunt, fundamenti loco positis, tutius iam superstruere licet ipsam diuinae orationis expositionem maxima grauitate se commendantem. Adloquitur Messias patrem suum, en arduam ac sublimem

* * II * *

sublimem visionis scenam! Precatur ὥστε noster in statu exinanitionis constitutus, quid hoc grauius? Petitione enim de se ipso in malis, quae instabant, conseruando proposita, grauissimas illi subiungit rationes, quarum una verbis continetur, elegantissime ordinatis: אָמַרְתִּי לֵאמֹר אֶת־הַדָּבָר אֲמָרָתִי יְהוָה אֱלֹהִים אָמָרָתִי dixisti Iehouae dominus es. Quum magna pars sensus a priori, quod adhibetur, verbo pendeat; de isto ante omnia simus solliciti. Dum enim in secunda feminini persona, suppresso isto, quod compellatur, obiecto legitur, variae inde natae sunt interpretum de illo sententiae. Non nulli enim, vocabuli corruptionem admittentes, legendum esse אָמָרָתִי adeoque verbo in primam personam translatos, illum ipsum, qui in reliquis commatibus loquens inducitur, de se et hic praedicare, existimant. G R O T I V S faltem, haud raro in scripturam sacram iniurius, id ipsum defendere non dubitat a), auctoritate septuaginta interpretum suffultus, qui transferunt, εἰπα τῷ καὶ εἶω, quosque versio vulgata sequitur pariter atque Aethiopica, cum quibus Syriaca nec non Arabica conueniunt. At quum perpetuus codicum optimorum consensus, masora itidem marginalis b) et Chaldaea paraphrasis, eam, quae adhuc superest, lectionem comprobent; fidem eiusmodi commentum non meretur c). Neque versionum istarum auctoritas hic quidquam valet, quum septuagiuta interpretes, quorum sere vestigia reliqui legunt, saepius hac ratione alucinentur, et sensum auctoris ista, quam dederunt, translatione exponi posse, licet verbis non pressè inhaerent, facili negotio induci potuerint. Alii itaque haec animaduententes alio modo nodum soluere instituerunt. R A S C H I d)

B 2 *commentariorum auct. quidem,*

a) commentar. in h. l. vid. bibl. אָמַרְתִּי minus critic. tom. II. col. 1189.

b) notat enim i septies verbum in hac forma grammatica occurre-

re, quod quidem de אָמַרְתִּי minus vero de אָמָרָתִי valet.

c) conf. D R U S I V S quaesitis per epist. LXXVIII. p. 149.

d) commentar. in h. l.

quidem, quem IUVNIVS sequitur e), sacram Dei coetum vocabulo hoc a Dauide compellari. Ad verba enim commentatur: **לְכָנָתֶת יִשְׂרָאֵל אָמַר דָוִיְד יְשָׁאָת עַלְךָ לֹמֵר לֵי' אֲרוֹן אַתָּה** ad congregationem Ijsraelis loquitur David, tibi incumbit dicere Iehouae, dominus es. At facile corruit haec expositio, quum lubrico nitatur fundamento; siquidem supra euicimus, in toto cantico redemptorem hominum loqui, minus vero Daudem. Accedit, in commate tertio, sanctos, qui tamen istum dei coetum consti-
tuunt, ab illo, ad quod hic sermo dirigitur, obiecto lu-
culenter distingui. Idem fere valet de ea, quae est c o c-
c E II f), A L E T H A E I g) aliorumque sententia, qua Daudem
verbo hoc ipsum salvatorem adloqui volunt. Hunc enim
verbis insuper in feminino genere positis vñquam compella-
ri, neque viñ scripturae confirmat, neque ipsa rei natura
permittit. Alia hinc via incedendum est, ad veram au-
ctoris sacri mentem detegendam. Messiam vocabulo hoc
ad obiectum quoddam, a Iehoua, cuius mox mentio iniici-
tur, pariter atque hominibus, sanctis non minus v. 3. quam
impiis v. 4. memoratis, diuersum, sermonem dirigere,
hoc ipsum nobis manifestat. Perpendentes autem, hanc,
quae in commate praesente proponitur, sententiam cum
iis, quae proxime praecedunt atque sequuntur, in qui-
bus feruor verbis in primam personam translatis de se
ipso praedicat, arctissime cohaerere, eamque eadem ratio-
ne atque connexa commouens petitionis argumentum con-
tinere; facilis est coniectura, in hoc quoque verbo re-
demptorem de se loqui, adeoque obiectum, intra se positi-
um, compellare. Sed quodnam sit illud e genere cum verbo
conueniens subaudiendum nondum constat. Consideran-
tibus autem nomen טְבֵעַ animam notans, saepissime in fe-
minino

e) nott. in S. S. in h. l.

f) commentar. in ps.

g) l. c. part. VII. p. 282,
seqq.

minino genere usurpatum, ea, quae hic requiruntur, exprimere, facile illud ipsum in mente venire potest, praeferimus quum eiusmodi animae suae compellatio Davidi h) non minus quam aliis scriptoribus sacris i) sollemnis et eadem ellipsis in simili verborum constructione non inusitata sit k). Neque interpretes ab haec sententia deprehendimus alienos. CHALDAEVS profecto confirmat, transferens: "מלחת אנה נפש קדס loquuta es tu anima mea coram Iehoua. Vberius exponit R. ABEN ESRA l) vocabulo אמרת subiungens: אמר לנצח כבר הודיע אתה ח'בתה: אדרוניך אדרוניך dicit animae suae, iam notum fecisti, deum dominum tuum teque obstrictum esse, colere ipsum. Consentunt quoque R. D. KIM CHI m) R. SALOMON n) et e Christianorum grege haud pauci, quos in medium producere superfederimus, rem enodare contenti. Elegantissima itaque apostrophe Messiam a patre ad animam suam sermonem hic conuertere, inde perspicimus, idque non sine summa emphasi. Quemadmodum enim eas hominum actiones, quae animo confilioque deliberato pariter atque intimo animi affectu peraguntur, istorum animabus tribui legitimus o); ita et illa, quae de animo dicitur, sermocinatio et oratio e vero animi sensu totaque cogitatione profecta, eoque non merum verbum oris περφρομή sed et cordis ἐνδιάτετον perhibetur p). Veram inde atque sinceram fidem Messias profitetur, qua istud, quod sequens esfatum continet, exceperit, illoque piam erga patrem suum mentem exponit, seque id, quod ore confiteatur,

B 3

prius

h) vid. psalm. XXXXIII, 6, seqq.
XXXXIII, 5. CXVI, 7.

i) vid. Ier. III, 19.

k) conf. 2 Sam. XIII, 38. gen. XXIII, 19. pf. LXXXIII, 3.

l) commentar. in h. I.

m) comment. in psalm.

n) comment. in h. I.

o) Ief. LVIII. 10. coll. pf. LXIII,
2. CXVIII. 167. deut. III, 29.
VI, 5. X, 12.

p) psalm. XXXXII, 2. XXXIII,
3. CIII, 1. 3. gen. XXVII, 19.

prius in animo sentire atque statuere docet q.). Sed neque hoc rem plene exhaustit. Anima Christi ad humanam eius naturam spectat. Quia itaque ad patrem sermonem direxisse perhibetur; proxime sequens effatum de humana Messiae natura valere, inde quoque colligimus; id quod et ipsa rei natura comprobat. Quanta inde diuinae sapientiae profunditas vel ex concinna hac sermonis struetura patescit! Dum autem verbum ρωμα pro ea, quae ipsi inest, vi atque significandi potestate, non externam modo professionem, verum et internam animi sensum complectitur, et vocum significatus sine necessitate haud restringendus sit; Messiam non istum solum, quo erga Deum suum adfactus sit, animum, sed illius quoque manifestationem et diebus carnis suae suscep tam ab ipso istius declarationem hic denotari voluisse, non est quod dubitemus; quum id ipsum mens auctoris sacri eiusque propositum requirat. Additur huic sermonis obiectum vocabulo ιησοῦ designatum, quo quidem verus deus, ab independente essentia pariter ac absoluta aeternitate denominatus, significatur, attamen in praesenti non εστιωδῆς spectatus, sed ὑποζεύκτης potius, prima nempe deitatis persona, vt pote ad quam omnis fere haec redemptoris oratio directa est, quamque illo, quo in terris versabatur, tempore pari ratione haud raro redemptor compellauit. De patre hoc ipso praedicit Ιησοῦ οὐδὲν quorum verborum prius, deo vero proprium, vi suae originis eum absolutum dominum atque sustentatorem, basin et columen rerum omnium in vniuerso hoc existentium, adeoque et piorum sui cultorum fundamentum, cui innituntur et quo fredi conservari sperant, exhibet. Plenus itaque fiducia Messias profitetur se ipsum, quem adloquitur, patrem dominum vniuersalem, supremum et potentem mundi omni-

q) fecus atque Rom. X. 10, Ies. XXVIII. 13.

omniumque rerum moderatorem, adeoque et suum dominum venerari, qui, quum omnia validissime sustinet et conseruet, non permisurus sit, vt ipse, qui ab illo pendeat, et se ei totum tradat, pereat, eundem potius potentissime conseruaturus. Apt a hinc prodit totius sermonis cohaerentia. Postquam enim saluator suam in deo ipem positam declarauit v. 1.; hac ipsa commotus, vt totum se deo, rerum omnium domino, tradat, insimul fiduciae suae fundamentum exponit.

§. VIII.

Pergit autem Messias ad alterum petitionis suae argumentum, a fructu et effectu meriti sui desumptum, cuius obiectum negatiue exponit, verbis: **טוֹבָה בְּלֹעֵד**, **מְחֻסִּים בְּלֹעֵד** *omnis mea fiducia in te est*. Sed quum nullum, quo audaciae huic succurratur, argumentum proferre possit, neque insuper in codicibus manu aut typis exaratis, neque in masora huiusmodi variationis vestigium deprehendamus; nos non morabitur. Pressius verbis inhaerre natus est **CHALDAEVS**. Dum enim psaltem deum omnium eorum, quae ipsi euenerint, bonorum auctorem praedicare, persuasum habet, transfert: **תַּיְכַת לֹא מִתְּחִיבָא בְּרַמֶּךָ** **bonum meum non datur, nisi a te**. Conuenit cum ipso **SYMMACHVS** exponens, **ἀγαθὸν μὲν ἐκ ἔστιν ἀεὶ τοῦτο bene mibi non est sine te**. Sequitur hos **HIERONYMVS** b). Sed punctum certe non ferunt. Praeterquam enim quod formalis voculae **לֹעֲגָה** notio accessionem potius quam remotionem, et dependentiam innuat; particulam sine ratione inferunt excepti-

a) biblioth. vniuers. tom. VIIII. b) l. c. p. 112.
p. 248.

uam et nexus cum sequentibus negligunt, aut difficultem
saltem reddunt. Eadem fere ratione rem instituit IUNIUS c).
Versioni enim: *tu non es condituras bonum meum penes te*,
subiungit: *non adhibebis apud te benedictiones tuas, sed libera-*
liter eas mihi et sanctis, qui in terra sunt, communicabis. Sed
a litterae simplicitate haec nimis recedunt. Bonum,
quod Messias suum praedicat, istud nominare, quod ad-
huc apud deum reconditum et ab ipso illi expectandum
sit, obscurius profecto dictum foret, quam ut verus sensus
inde coniici posset, aut cum certitudine euinci. Alio
quidem modo rem explanare suscipit R. SALOM. IARCHI,
dum ad vocabula producta scribit d): *טֹבוֹת שָׁאַתְהָ עֲשָׂה לִי לֵא בָּצְדָקָתִי אֶת מְשִׁיבֵּלָךְ* bona, quae nabi ex-
hibes, non super te sunt, ut retribus mibi, nam non pro iustitia mea
tu benefacis mibi. Sed verbis minus inhaeret. Si vel ma-
xime *טוֹבָה bonum*, quod persona loquens sibi tribuit, de
beneficii a deo acceptis exponere liceret; particulam
tamen *לֵי* de debito ad retribuendum quoddam accipere,
istius origo non minus quam notio formalis vetat. Longius a scopo aberrat GROTIUS e). Postquam enim verba
excitata transtulit, *bonum meum non est apud te sc. conditum;*
explicationis ergo addit: *non invides mibi cognitionem rerum*
salutarium. Haec enim in Messiam non quadrant: hinc non
est, quod eorum discussione longius inhaereamus. Mi-
tius quidem sentit S. B. SCHMIDIVS f). Dum enim no-
men de beatitudine homini, qui filius dei est, com-
petente explicat; redemptorem indicare voluisse persuasum
habet: non esse hanc beatitatem ipsi (quum se illa ex-
inanuerit) propter patrem sc. causaliter, quia hic velit,
eum ista carere ad salutem hominum, et patri suo hac in

c) nott. in S. S. ad h. I.

d) commentar. in h. I.

e) commentar. in h. I. vid. CA-

LOVRI bibl. illustr. tom. I. p. 961.

f) In resolut. psalmor. propheticor.

tior. de Christo p. 39.

re obedire obstrictus sit. Sed haec ingenium potius spirant, quam solidam verborum expositionem. Nomen טֹבַה de Christi beatitudine et ea quidem, quam in isto, quo hic precatur, exinanitionis statu, non habuit, exponere, istamque ipsi a patre suo non esse concessam, positis his, quae textus suppeditat, verbis, suffixo praesertim, adfirmare, durius profecto videtur, extorquendum potius ex illis, quam legitime deducendum. Non maiori probabilitatis specie se commendat, quae GEIERO g) fuit, sententia: *omnis mea felicitas in te solo replet, nihil tibi praefero vel supra te aestimo, siue terra siue caelo continetur.* Simplicem enim verborum significatum deserit et plura intrudere nititur, quam textus permittit. Neque melioris est farinæ eorum commentatio, qui, transferentes h) *bonum meum non est contra te*, Messiam confiteri aiunt, istud, quod ipse in suo officio praestet, non repugnare voluntati diuinae, sed potius in consilio patris aeterno decretum et ipsi iniunctum esse. Praeterquam enim quod particula h) significatum repugnantiae vix admittat, connexio cum iis praesertim, quae sequuntur, nulla aut certe difficilis euadit. Hoc ipsum de BOHLII expositione notandum est, ad verba: *bonum meum, adjicientis i)*, *omne illud, quod in te derivari debebat ex meo officio, ut laus Iudeorum ob salutem meritum pro iis persolitorium, quod iam, ob Iudeos non cupientes solutionem pro se necessariam, ad te non venit.* Nimis haec remota sunt a scopo Davidis, quam ut pro vera ipsius mente venditari possint. Missis autem reliquis, quae in medium produci possent, opinionibus, ad eam properamus, quae, libera ab his παρεγγυσίαις, facilitate se commendat, et cum verborum ordine atque textu adprime consentit. Scenam visi isto tempore constituendam esse, quo saluator in eo erat, ut magnum redēptionis opus perpetratio

C

ne

g) comment. in psalmos. col. 206. ioss, SAT, VANTIL commentar. in
h) vidi GLASSIUS in philolog. psalm. L.I. p. 255.
sacr. L. III, tract. VI, can. XII, p. m. i) disputat, super h. psalm. §. 12

ne atque morte consumeret, ideoque patrem de ipso conseruando et e malis liberando precabatur, probatum dedimus. Bonum itaque, quod sibi tribuit, eiusmodi fit necesse est, quod huic redemptoris statui conueniat. Sequens comma docet, illud ipsum, quod hic ad deum patrem referre negatur, ad sanctos spectare. Eiusmodi autem nullum cogitari potest, nisi quod ex ipsius perfessione morteque redundat ad homines, adeoque fructus illius et effectus, quos satisfactione sua infinita et obedientia actua non minus quam passiua nobis promeritus est, cuiusmodi sunt reconciliatio cum deo, liberatio a dominio peccati, ius haereditatis caelestis, gratiae diuinae operationes et summa, quae in hominem cadere potest, beatitudo. Nomen נָשׁוֹב in genere feminino usurpatum, de eo, quod alteri confertur, beneficio adeoque eiusmodi bono, quod ad alterius perfectionem tendit, haud raro in scriptura sacra adhibitum legimus k). Hinc tantum abest, ut vocabuli significatus hanc de bono Christi notionem respuat, vt eam potius confirmet. Tribuit autem τῷ οὐρανῷ hoc ipsum bonum sibi, non solum quatenus illius auctor est, suoque merito illud adquisiuit, sed eo quoque respectu, quo illud suis in ipsorum salutem confert. Perhibet porro de ipso ad patrem sermonem convertens : בְּלִי. Particulam בְּלִי originis sua non ascensionem modo, eminentiam et incumbentiam, verum inde quoque vicinitatem atque coniunctionem inferre, res est notissima, vsu scripturae confirmata. Iam quum verbum, nexum praedicti cum subiecto exhibens, ex isto, in quo orator constitutus sistitur, affectu omissum sit; illud ipsum rei naturae atque συνεργεία conuenienter subintelligendum est. Remouet deo redemptor, quod de sanctis respectu huius boni adfirmat. Eiusmodi itaque verbum

k) vid. 1 Sam. XXIII, 18. 21. proverb. XVII, 13. Ier. XVIII, XXV, 21. XXXV, 12. XXXVIII, 30.

bum, quod non minus cum hac sententia atque particula
 by quam cum subsequente propositione concordat, sup-
 pleatur necesse est. Quum autem ה itidem coniunctio-
 nem notet ac adpropinquationem; verbum בְּ sive גַּם
 aut eiusmodi synonimicum adiicere, scopo psaltae certe
 inseruit. Agnouerunt id ipsum Iudeorum plures. Testai-
 tur R. ABENDANA. Sribit enim 1): שׁ מפְרִשִּׁים הַתוֹכָה: שׁאַנֵּי עֲשָׂה אֲנֵה מְגֻעַת עַדְךָ אֶלָּא לְקָרְשִׁים אֲשֶׁר בָּאָרֶץ הַמָּה
 Sunt, qui interpretantur, bonum, quod ego facio, non pertingit ad
 te, sed ad sanctos, qui in terra sunt. Consentit R. D. KIM-
 CHI m). Sed quae sit boni huius negata ad deum acces-
 sio, adhuc disquirendum est. Eam quum psaltes de san-
 ctis hominibus adfirmet, ad hos autem illius relatio non
 detur, nisi ad commodum eorum atque perfectionem ten-
 dens; eo ipso adparet, saluatorem contendere, meri-
 tum suum, et redemptionis suae fructus atque effectus non
 ita ad patrem suum, supremum totius mundi moderato-
 rem, referri, vt iis iste reddatur perfectior: siquidem
 sua natura perfectissimus fit n). Apte hinc septuaginta:
 ὅτι τῶν ἀγαθῶν μετὰ χρέων ἔχεις et vulgata: bonorum meo-
 rum non eges. Conuenit cum iis LVTHERVS exponens o):
 quidquid feci ac laboravi hactenus, horum nihil in te redundat deus,
 omne in commodum hominum cedit. Neque longe recedunt
 BRENTIVS p), PISCATOR q), DRVSIVS r), TARNO-
 VIVS

C 2

1) in spicileg. R. Sal. ben. Me-
 lech Michl. loph. adiecto fol. 166.
 fac. 2. col. 1.

λογος δεήσεται manifestum est, deum,
 quem nulla re indigens sit, neque
 amicis opus habere.

m) commentator. in psalm. h. l.
 n) ARISTOTELES quoque hanc
 sumimam dei perfectionem intelli-
 gens L. VII. moral. Eudem c. XII.
 scite: δῆλον γάρ, inquit, οὐ σέδε-
 νες προσδεμένος ὁ Θεός εἰδε φί-

ο) commentator. in ps. h. l. licet
 in versione germanica ab hac sen-
 tentia alienus sit.

p) commentator. in S. S. ad h. l.

q) commentator. in libr. bibl. tom.

III. p. 132.

r) quæst. et respons. Libr. III.

vivs s), atque cocceius t). At quis horum cum praecedentibus nexus? Optimus sane. Quum enim Messias patrem suum, totius terrarum orbis dominum adeoque perfectissimum, in propositione proxime praemissa professus fit, ideoque nullum ex iis, quae subiturus sit, malis, in ipsum, sed tantum in homines redundare commodum, contendit; omnem perpeſſionum suarum exitum gloriosum gratiae atque benignitati diuinae tribuit, nec ea ipsa re ſolum ſed etiam illis fructibus obedientiae fuae, qui hominibus, quorum falus deo curae fit, obtingant, deum mouere ſtudet, ad petitionem ſuam ſibi concedendam.

§. VIII.

Isto, in quem nulli meriti redemptoris fructus redundare poſſunt, expoſito, ad eos ipfe orans peruenit, quibus illi ſalutares ſint. Hos designat a necessaria modo, quae in iſpis requiratur, adfectione, modo excellenti eorum ſtatu. Illud fit verbiſ **לְקָדְשֵׁים אֲשֶׁר בָּאָרֶן הַמִּה** *ad sanctos, qui in terra ſunt*; quae verba, licet perſpicua videantur, accuriatorem tamen merentur disquifitionem. Nomen quidem **תְּהִימָה** quod primum notandum eſt, id, quod ab omni immundicie atque impuritate vſuque profano et communi ſeparatum eſt, denotatur. Itaque de deo quum dicitur, eum ab omni imperfectione morali liberum, omnijunque perfectissimum ſiſtit, cui ſanctitas absolute omnibusque numeris perfecta v), reliquis vero rebus comparate et per participationem competit. De angelis itaque non modo, a coetu malorum ſpirituum separatis, deoque mancipatis x), verum et de hominibus numini diuino addictis, et cultus veri ratione e communi hominum forte

s) in psalm. paſſional. in h. l. v) leuit. XI, 44. 4f. XX, 26.
conf. GLASSII philolog. facr. Iof. XXIII, 19. pf. LXXXVIII, 9.
L. III. tr. VI. can. XII. p. m. 1055; Ief. V. 16.
t) opp. tom. II. p. 75. x) Iob. V, 1, XV, 15.

forte exemitis, perhiberi legimus, quos posteriores tam
en varia ratione hoc nomine adpellari, deprehendimus.
Ea quidem, quae latior est, vocabuli vi atque significan-
di potestate omnes, qui populo dei adnumerantur ob
sanctitatis documenta tum in verbi diuini auditione et fa-
cramentorum participatione, tum in foedere, quod deus
cum corpore, cuius membra sunt, pepigit, conspicua,
isto comprehenduntur, huiusque intuitu populus Israeliticus y), in veteri oeconomia et coetuum Christianorum
membra in noua ita adpellantur z). Strictiori vero signifi-
catu pii, sinceri et fideles numinis diuini cultores voca-
bulo hoc indigitantur, dupli gaudentes sanctitate, qua
a reliquorum hominum turba separatisunt, altera ipsis per
fidem in Christum imputata, vi cuius per sanguinem istius
a peccatorum fordibus purgati, adeoque ab istorum rea-
tu immunes evadunt; altera vero activa, e priori orta,
qua per spiritum sanctum renouati vitae sanctitati student,
legibus diuinis conuenienter viuunt, adeoque per bono-
rum operum studium e communi hominum confortio ex-
emti sunt. Iam quinam hic denotentur disquirentes, ho-
mines tantum in censum venire, sequens adiectione nos do-
cet. Qui vero mortalium intelligendi sint, adhuc restat.
SAM. BOHLIVS quidem ad Iudeos populum dei electum
restringit a). Sed nulla adeest huius rei ratio, quum
Christus non Iudeorum modo, verum etiam ethnicorum
saluator, et meritum ipsius his quoque salutare sit. Potiori
itaque iure fideles in uniuersum omnes intelligimus, qui
eo ipso quod boni a Messia parti adeoque meriti illius par-
ticipes sunt, sancti redduntur, tum sanctitate ipsis impu-
tata, tum sanctitate vitae, e fide originem ducente. Scite
autem rex psaltes vocabulo hoc vtitur, modo ad qualita-

C 3

tem

y) exod. XVIII, 6. deut. VII, 6. z) Rom. I, 7. 1 Cor. I, 2. 2 Cor.
XIII, 2. I, 1. caet.
a) dissertat. super ps. XVI, §. 14.

tem eorum, qui hoc ipso Messiae bono frui volunt, delineandam eiusmodi nempe esse homines, qui, sanctitatem in ipsis produci, permittunt, modo ad statum eorum felicem et officium illis iniunctum, quo sancte viure eosdem oporteat, ob oculos ponendum. Praesigitur nomini huic, tendentiam ad obiectum innuens. Quum vero propositio haec elliptica sit, ad proxime praemissa respiciens; verbum suppressum בְּאַרְצָה aut eiusmodi aliud cum vocabulo טוֹבָת hic quoque subaudiendum esse, constructionis similitudo, textusque συνάφεια fatis luculenter confirmat, mentemque scriptoris diuini esse docet, istud Messiae bonum, illius nempe meritum, huiusque fructus ad sanctos peruenire, ut hi modo istius participes reddantur. Hos ipsos autem ut magis definiat Dauides, addit: אשר בְּאַרְצָה הָמָה, quibus verbis ii, qui sanctorum nomine appellantur, illis, quorum habitatio extra hunc terrarum orbem constituta dicitur, opponuntur. Dum enim haec loquendi formula de iis proprie hominibus, qui in hoc mundo versantur, adeoque in praesenti vita constituti sunt, adhibetur, omnes alias a participatione meriti Christi exclusos esse, tuto inde colligimus b). Ad angelos inde meritum salvatoris nequam speclare, satis aperte in-

de

b) Facilius mihi quidem hac ratione omnia fluere videntur, quam eorum commentationes, qui textus corruptionem venditantes legere malunt אשר בְּאַרְצָה מִהָּאֲזִיר. Eiusmodi enim depravationes quando admittimus, textus sacer maxime dubius redditur, neque via ratione de vero scripturae sacrae sensu certi esse possumus.

Periculosis videtur, auctoritate versionum quarundam antiquarum receptam et innumera fere codicium fide pariter atque sollicita masoretharum cura stabilitam electionem reiicare et emendare. Qua ratione haec cum certitudine scripture sacrae constitere possint, certe ego quidem non intelligo.

de euinci potest , quum bonorum habitatio in caelis c) , malorum in inferno d) perhibeatur ; et Christus insuper mediator dei dicatur et hominum e) , minus vero angelorum , neque horum naturam adsumferit sed hominum f) adeoque nec illos redemerit . Angeli quoque boni , quum peccati expertes et a peccandi periculo immunes sint , illius satisfactione non egent . Mali autem genii iudicio diuino immiserabiles sunt , vt ait DANHAVERVS g) , vinculis perpetuis sub tenebris in iudicium magni diei reseruati . Irrita hinc est ABEN E S N A E commentatio per מלאכים exponentis h) .

§. X.

His ipsis in luce positis , facile inde dijudicari potest eorum opinio , qui finem poenarum infernalium statuentes damnatorum redemptionem sperant , deumque misericordia commotum detrusos in infernum et homines in incredulitate mortuos olim ex isto liberaturum confidunt . Sententia haec fuit primum *Origenistarum* , *Anabaptistarum* i) deinde , hodieque eorum est , qui D. PETERSENII k) et M. LVD. GERARDI l) vestigia sequuntur , quorum plures aeuum nostrum produxit m) . Eo perniciosior opinio , quo plus summis dei perfectionibus , iustitiae praesertim ipsius vindicanti detrahit , satisfactionis vicariae , in hac vita

c) Matth. XVIII, 10. XXIII, 36. d) Matthe. XXV, 41. apoc. XX, 10.

e) 1 Tim. II, 5.

f) Ebr II, 16.

g) hodos. phoenom. VII, p. 532. conf et HOLLAZHI exam. theol. P. III. sect I. c. II. p. m. 748.

h) commentar. in h. l.

i) mentio quoque eorum sit in Augustana confessione art. XVII.

damnat Anabaptistas , qui sentiunt bonis damnatis ac diabolis finem poenarum futuram esse .

k) vid. opp. tom. I. dialog. de restitu. viiu. P. I. n. 83. p. 61. seqq.

l) in systemate απονεταζασως an. 1600. edito.

m) referendi inter hos sunt agmen fere ducentes WILHELMVS WHITON in tr. the eternity of hell

ta applicandae, necessitatem minuit, ordinem salutis a deo constitutum turbat, et ad vitam impie securam peragendam plurimum consert, dum haud pauci, poenas post hanc vitam non aeternum esse duraturas, persuasum habentes, liberationem, si vel maxime damnationi obnoxii euadant, sperando, eo minori sollicitudine a peccatis carent. Sed plura dantur argumenta, quibus nocua haec doctrina destruiri potest atque refutari. Satis firmum vel ex illo, quod modo exposuimus, effato deduci potest et in aciem produci. Nulla datur absque interueniente Christi satisfactione peccatorum cum deo reconciliatio. Quum enim deus infinitus legum suarum transgressione laedatur n); peccatum culpam inde adeoque poenam habere dicitur infinitam; siquidem quo maior est dignitas personae violatae, eo maior offensa habetur, reatus atque poena, quum omnis culpa eiusque poena maxime ex objecto violato aestimanda sit et ponderanda. Ad hanc itaque culpam et poenam tollendam satisfactio erat necessaria, ab eiusmodi ente pro peccatoribus praestanda, quod omnia mala e peccatis orta tollere et poenam peccatorum loco infinitam subire adeoque perpeccione sua istam luere poterat. Id ipsum autem quum infinitum esse debat, et insimul naturam habere, quae perpeccionum capax sit; θεονθρωπον modo satisfactionem istam, αινοντα λύτρωσιν o) praestare potuisse p), Christumque unicum esse mediatorem inter deum et homines, certiores nos reddunt paginae sacrae, toties eum sponsorem et satisfactorem

Torments Londin. clo lccc xxxx. in
8t. et BVRNETVS in libro cui titulus. *The scripture account of the eternity or endless duration of the joys of heaven, and the torments of hell stated explained and vindicated* Lond. clo lcccxxxxii.

n) Psalm. LI, 6.

o) Ebr. VIII, 12.

p) pluribus id expedit b. RREV SCHIVS in introduc^t, in theol, reuel, §. 108. seqq.

factorem referentes q.). Peccatores inde inferno adjudicatos tamdiu a gratia dei illiusque communione manere exclusos, irae itidem iustissimi numinis et poenis infinitis obnoxios, quamdiu id quod satisfactione sua promeruit Christus, quodque in hac vita increduli reiecerunt, ipsis non salutare euadit, nexu necessario sequitur. Sed David in nostro oraculo diserte perhibet, bonum Messiae, praefixa satisfactione promeritum, ad homines modo *in hoc terrarum orbe* ita spectare, vt eo ipso sancti fiant, deo reconciliati et salutis aeternae capaces. Dammatos inde in inferno existentes a participatione huius meriti excludit. Horum itaque poenas in aeternum esse duraturas, tuto inde conficimus; id quod et alia satis confirmant scripturae sacrae effata. Scriptores diuini, quoties damnationem impiis tribuunt, toties sine villa limitatione loquuntur, quae tamen necessaria fuisset, si liberatio unquam foret speranda. Aeterna porro dicitur damnatio in oppositione ad vitam aeternam sine omni fine durantem. Vocabulum inde *αιώνιος*, proprie durationem, quae vel initio et fine, vel posteriori saltu caret, denotans, in utraque oppositorum parte eandem significandi vim obtinere, ad utriusque durationem indicandam, adeoque, de damnatione adhibitum, eandem sine fine duraturam delineare, oppositionis ratio satis euincit. Lucem inde accipit insigne istud seruatoris effatum r); impii abibunt *εἰς κόλασιν αἰώνιον in cruciatus s. damnationem aeternam*, iusti vero *εἰς ζωὴν αἰώνιον in vitam aeternam*. Opponitur hic *κόλασις* et *ζωὴ*. Utriusque durationem Christus vocabulo *αἰώνιος* designat. Hoc ipsum itaque ut utroque eodem significatu accipiatur, necesse est, quod neutiquam foret, si ex

D

vna

q) 1 Joh. II, 2. 1 Tim. II, 5.
 Ebr. VIII, 15. XII, 24. Rom. r) Matth. XXV, 46. conf. et
 VIII, 34. Ebr. V. ps. CX, 4. Ebr. Dan. XII, 2. Io. X, 28. XI, 26.
 VII, 27.

vna parte durationem sine fine, ex altera finiendam designaret. Quum itaque extra controuersiam positum sit, idem istud, si de vita piorum futura sermo est, durationem sine fine denotare; aequem minus profecto dubium est, de damnatione adhibitum eandem in omnia saecula durantem exhibere, et hinc argumentum satis firmum ad doctrinam nostram probandam, e loco producto desumi. Accedit his, damnationem in aeternum duraturam verbis maxime significantibus delineari. Vermis damnatorum non mori, et ignis ipsorum non extingui dicitur s), fumus eorum εἰς τὰς αἰώνας in aeternitates aeternitatum, i. e. omnem omnino aeternitatem adscendere t), iraque dei super ipsos manere v) perhibetur. Paullus porro Phil. III, 19. ἀπόλεσιν esse impiorum τέλος et 1 Thess. II, 16. imminere illis ἔγχην εἰς τέλος iram quae fortis eorum finem imposituram docet, illustrans illud Ebr. VI, 8. similitudine a terra, fructum ferente, desumpta, cuius τέλος εἰς κακὸν. Quodsi itaque damnatio finis impiorum est; id ipsum, illis praeter poenas nihil exceptandum esse aliud, nullamque prorsus, ut e statu isto liberentur, spem superefta, manifesto docet. His rite consideratis, ea, quae aduersarii ad errorem suum fulciendum in medium producunt, argumenta facile dilui possunt atque excuti; quae fere eo redeunt omnia: poenas aeternas summae dei bonitati, amorigue ipsius erga creaturas intimo pariter atque iustitiae, sapientiae et misericordiae diuinae aduersari, Christumque ictis

s) Ies. LXVI, 24. coll. Marc. VIII, 44. 46. 48. Matth. III, 12. Luc. III, 17.

t) apoc. XIII, 11. XVIII, 3. XX, 10. Tantam haec dicendi ratio habet vim, ut non nisi de aeternitate perpetua prorsus et infinita adhibeatur vid. Phil. III, 20. 1 Tim. I, 17. 2 Tim. III, 18. Ebr.

I, 8. XIII, 21. 1 Petr. III, 11. V, 11. apoc. I, 6. 18. III, 9. 10. V, 1. 13. 14. VII, 12. X, 6. XI, 15. XV, 7. XXII, 5. et conf. PHIL. DAV. KRAEFTERI specimen. theol. de aeterna poenarum infernalium duratione §. XVI. p. 32. seqq.

v) Io. III, 36.

istis admissis mortem aeternam non viciisse, et quae his sunt similia. Frustra enim sunt omnes hominum ratiocinationes, voluntati dei expressae et clarissimis ipsius effatis repugnantes. Non datur amoris neque bonitatis diuinæ exercitium erga peccatores minus illius capaces. Sed capax istius nemo fieri potest absque interuentu meriti Christi, fide adprehensi, dum sine isto omnis negatur cum deo reconciliatio. Iam Dauid in nostro loco haud obscure prodit, meritum redemptoris ad homines modo in hac terra viuentes, neutquam ad damnatos pertinere. Hi itaque bonitatis pariter atque amoris diuini obiectum esse non possunt. Eadem est ratio iustitiae dei, quae, quam infinita sit, poenis quoque aeternis peccatores, qui satisfactionis Messiae participes non fiunt, non potest non punire. Vicit quidem Christus mortem aeternam, ut non imperet in illos, quibus meritum ipsius imputatur. Damnatis vero hoc, Dauide teste, non accidit. Hinc isti neque ab illa liberi euadunt. Taceo reliqua.

§. XI.

Pergit vero poëta diuinus in iis, qui meriti, a salvatore parti, participes fiunt, delineandis, dum statum eorum maxime felicem defcribit et gloriosum, modo ex ipsorum praestantia, modo e singulari Messiae erga ipsos adsestu. Dicit itaque: *כָל חַפְצֵי בָם וְאֶדְרֵי et magnificis, in* quibus *omne desiderium meum est.* Nomine quidem *אֶדְרֵי* generatim omne id, quod praestantia, magnificentia vel etiam robore insigne et in qualibet genere eminentia est, denotari, usus scripturae facrae euincit. Tribuitur hac ratione non vero tantum deo, roboris ac magnificentiae praerogativa omnibus rebus creatis superiori ^{x)}, atque Messiae ^{y)}, verum etiam naturis creatis, quibus dignitas

D 2

quae-

^{x)} ps. LXXVI, 5, XCIII, 4. ^{y)} Ier, XX, 21.
Ies, XXXIII, 2 i.

quaedam, eminentia atque robur inesse animaduertitur z). De hominibus autem hic praedicari, textus ἡμαρφή luculentiter docet. Quum itaque ii, qui in praecedente enunciatione sancti adpellantur, hic denotentur, siquidem nullum adest subiecti mutati indicium; pios redemptoris cultores intelligendos esse, non est quod dubitemus. Vocantur isti hoc nomine, modo ob prerogativam et praestantiam e merito Christi ab ipsis fide adprehensio partam, modo ob relationem eorumdem ad deum, a quo gloriofi habentur, licet a mundo contemnuntur, modo ob gloriam aeternam, qua vita hac absoluta in caelo sunt exornandi, quibus addi potest, propter robur, quod in spiritualibus, gratia dei suffulti, a benigna saluatoris manu consequuntur, quo hostibus relictari et in viis dei fortiter procedere possint. Sunt quidem interpres a), qui apostolos sanctificatos iam per Christum et designatos ipsis legatos, ut verbo et vita reliquis praelucerent hominibus, hic designari existimant. Sed non est in textu vestigium, e quo hanc vocis restrictionem colligere possumus. Maiori itaque iure de quibuslibet piis Christi cultoribus intelligimus. Quum autem hoc ipsum nomen in regiminis statu positum sit et ab iis, quae sequuntur, determinationem quandam ac modificationem accipere nequeat; aliud nomen textui conueniens subintelligendum est. De hominibus praedicator. Commodissime inde vocabulum אָנָשִׁים vel huiusmodi aliud addi potest b). Neque sine אַנְשָׁהָה haec ipsa in nomine hoc forma adhibetur. Est illud, naturam illius si spectes, adiectuum, adsestitio-

nem

z) pf.CXXXVI, 18. Ier.XXX, 21.
Ezech. XXXII, 18.

a) vid. COCCETI commentar. in psalm. p. m. 76. §. 7.

b) ABEN ESRA quidem commentar. in h. l. nomen גְּאַנְדָּה in-ferendum putat, dum concisam

scriptoris sacri enunciationem exponit: אֲדֹנֵי אָרֶן אֲשֶׁר כָּל הַפְּצִיא בְּמִזְבֵּחַ Sed sensus codemredit; siquidem nomen גְּאַנְדָּה metonymia admissa incolas terrae denotes.

nem quandam hominibus adhaerentem denotans. Quae quum in omnibus mortalibus non deprehendatur , aliquos modo esse , qui hac praerogativa gaudent , et ad quos bonum a Christo partum spectat , scriptor facer haud dubie voluit indicare. Quo autem personas has felices eo luculentius delineet ; singularem suum erga istos affectum Messias perhibet verbis כִּי חַפְצֵיכֶם בָּם Eosdem hic notari , qui אֲדֹנֵינוּ nominati sunt , et magis illos determinari , non est quod probemus. Quum autem vocula , nexus horum verborum cum praecedentibus exhibens , desit , eam , per ellipsis omissam , subintelligendam esse facile patet. Pronomen relativum determinationem antecedentium et lucem per ea , quae sequuntur et insimul horum cum istis connexionem notat. Illud ipsum itaque et hic inferendum atque cum pronomine personali ad eas , quae iam descriptae sunt , personas respiciente , connectendum esse , inde coniungimus c). Loquitur messias . Perhibet , se in sanctis his et magnificis habere γένος quod pro ea , quae vocabulo huic nativa est et propria , significacione desiderium non minus quam commendationem ex re quadam et intimam in ea oblectationem notat d) , a qua notione cur hic recedamus non vlla adest vrgens ratio . Praeponitur ipsi nomen כִּי quod , dum vniuersalitatem designat , eo ipso manifestat , omne Christi desiderium , delicias ipsius et omnem voluptatem , quam ex hominibus capit , ad sanctos inter illos et magnificos tendere , adeo ut hos vnicet amet , eorumque

D 3

felici-

c) ATHANASIVS , quem CORDEIUS in expositione patrum Graecorum in psalm. tom. I. p. 273. allegat , ἔθαυμάσωτεν inserit , neque alienus est ab hac sententia sequitur hos versio vulgata . Sed magis haec remota sunt simplici verborum expositione , neque volum supplementi huius produci potest fundamentum solidum.

THEODORETVS l. c. transferens : ἔθαυμάσωτεν ὁ κύριος , ὅτι πάντα τὰ τὰ θεηταὶ αὐτῷ εἰν αὐτοῖς

d) ps. CVII , 30. I , 2. 1 Sam. XV , 22. eccl. V , 3. Ief. LXII , 4.

felicitatem quavis ratione promouere studeat. O fortunatum proinde piorum Christi adseclarum statum , quantum ipsorum solarium ! Sunt redemptoris sui deliciae , fruuntur sincero ipsius amore , prouidet eorum saluti. Iam ad ea , quae praecedunt , respicientes , his , quae commate hoc continentur , enunciationibus istas describi personas , ad quas bonum Messiae spectat , deprehendimus , vt adeo isti tantum fructuum meriti Christi participes fiant , qui sancti sunt et magnifici , quibus Messias admodum delectatur. Sed quid inde ? An meritum Christi non vniuersale est , ad omnes omnino homines se extendens ? Annon particularitas satisfactionis illius , quam Caluinianorum familiae addicti contendunt , inde probari potest et contra nos defendi , adeoque religionis nostrae sistema labefactari ? Salua res est . Satisfactione Christi et bona ab ipso per illam parta ea quidem ratione vniuersalia sunt , vt omnes homines illorum , si velint , participes fieri possint , quod non plura modo scripturae sacrae effata , sed gratia quoque dei ad omnes homines , nullo excepto , se diffundens abunde probant . Sed plures bona haec respununt , neque fide sibi adplicant ista . Ad hos igitur haec non ita spectant , vt istis sint salutaria , et hoc ipsum Messias his enunciationibus exprimere voluit , id quod satis ex iis patet , quae antea euincimus .

§. XII.

Felicitate sanctorum delineata , digreditur scriptor facer ad infelicitatem incredulorum , qui Messiae bonitatem despiciunt , eamque malis , quae ipsis sustinenda sunt , atque abominando ipsorum statu describit . Istud dum peragit , dicit : רְבוּ עֲצֹבָמִים אַחֲרֵ מֹהִיר multiplicant dolores suos , qui alium feruide settantur . Nomen אַחֲרֵ ad Messiam orationis huius subiectum respicere , et aliam praeter ipsum hunc

Hunc saluatorem personam aliumque deum e), qui talis non sit re ipsa, sed ex vana hominum persuasione, indicare, sermonis nexus et vocabuli significatus docent. Quum porro מָרֵה pro nativo suo significatu de iis adhibetur, qui, missis aliis rebus, summo studio aliquid peragere festinant, adeoque cupiditate ad illud suscipiendum flagrantes, quae obstant, omnibus viribus remouere intentuntur f); ii hac loquendi formula denotantur, qui, Messia, vero deo et vnico mediatore, a quo omnia bona salutaria exspectanda sunt, reliquo, praesidium aliud, deum alium et redemptorem eligunt, quem feruide sectantur, omnem in eo fiduciam collocantes, omne ab eodem auxilium exspectantes. Includitur itaque vocabulis his malitiosa Messiae et bonorum ab ipso exspectandorum desertio, spontanea et feruida aliorum, praeter Christum, praesidiorum atque saluatorum sectatio, a qua eiusmodi homines neque conscientiae dictaminibus et verbi diuinivi atque efficacia, neque aliis, quae ipsos impedire possent, rationibus se abduci patiuntur. Opponuntur autem hi malitiosi Christi contemtores sanctis et magnificis ante memoratis, horumque viuendi rationem, fidem et fiduciam in Messia collocatam, ipsis mundum mundique dominum sectantibus aliqua sibi quaerentibus praefidia non placere, eo ipso innuitur. Huius farinae erant olim Iudei, qui non idolatriae modo maxime erant dediti,

sed^z

e) vid. exod. XX, 3.

f) Verbum quidem hoc exod. XXII, 16. dotandi significatu, metonymia admissa, adhibetur. Plures itaque interpres e. g. COCCEIUS commentar. in h. L SALVATIL commentar. in psalm. tom. I. p. 255. CALOVIVS in bibliis illustrat. tom. I. p. 963. MARCKIVS in exercitatt. bibl. p. 403; hoc modo ex-

ponunt: qui alium dotant i. e. sibi eligunt, cui dotem velut marito adferant, quum idolatria sit spiritualis scortatio. Sed quum vaicus modo locus existeret, in quo vocabulo huic dotandi notio competit, et haec infuper ipsi impropria sit; significatum potius famosissimum proprium sequimur.

fed, Christum quoque inter ipsos ad parentem reiiciebant, omne in viribus humanibus auxilium ponentes. Verum enim vero neque nostrum aevum ab eiusmodi hominibus, qui a vate notantur, liberum euadit. Certe Pontificiorum sectae addicti plures prater Christum, vnicum illum mediatores deum inter et homines g), a quo omnis salus petenda est h), redemptores sibi fingunt et mediatores, quos e sanctis hominibus ad beatorum sedes transgressis pariter atque angelis desumunt, eosque cultu religioso prosequuntur i). Sed vel ex ipso hoc Dauidis effato, vanam esse sententiam et perniciosum cultum eorum, demonstrari potest. Adfirmsit enim Messias de eiusmodi hominibus: *רָבו עֲצֹבּוֹת* *multipliant dolores suos.* Non vna est interpretum de vocabulis his sententiâ. Chaldaeus paraphrastes nomine *עֲצֹבּוֹת* idola significari censem, dum illa sic transfert: *מְסֻגֵּן צַלְמָנִיהָן מִן בְּחָרֶן לְקָרְבָּא* *multipliant imagines suas et postea festinant eis offerre oblationes.* Consentit Raachi k) et Christianorum plures ab hac interpretatione non sunt alieni l); siquidem imprecationem esse volunt, q. d. *multis malis exagitentur, qui alium deum colunt*, quam deum Israelis. Sed haec neque significatum vocis, neque scopum vatis de omnium istorum, qui Messiam reiiciunt, fatis noxiis loquentis, satis exhaustiunt. Legimus quidem nomen *עֲצֹבּ* et in plurali *עֲצֹבּוֹת* metonymice de idolis usurparim). Verum hoc non valet de *עֲצֹבּת* aut *עֲצֹבּת* quae forma in loco nostro est adhibita.

Hoc

tom. III. opp. L, II. de angelis c.
VIII. seq.

k) commentar. in h. I.

l) vid. CLARIUS annotatt. ad h. I. quae exstant in criticor. sacror. tom. III. p. 3658. VATABIVSL. c. p. 3656. GROTIUS commentar. in h. I.

m) vid. Ier. XXII, 28.

Hoc enim dolorem notat eumque vehementiorem, anxietates et mala, quibus alter adscitur n). Quum itaque רְבָה in futuro, quod praesens includit, adhibitum multiplicationem quantitatis tam discretae s. multitudinis, quam continuae, quae magnitudinem conslituit, denotet, et suffixum in אַלְכּוֹתָם ad pronomen שֵׁנִי per ellipsis omisum adeoque ad impios, qui in sequente commate satis insinuantur, respiciat; David his verbis indicare vult, eos, qui alium, praeter Messiam, deum quaerunt et redemptorem, propria sua ipsorum culpa maximos et in hac et in altera vita sibi conciliare dolores, tristissimas conscientiae anxietates, tormenta corporis et quae sunt alia mala cruciatus adserentia.

§. XIII.

Non satis est, eorum, qui Messiam reiiciunt aliumque sectantur, dolores et cruciatus notasse; accedit et hoc, quod Christus a cultu eorum peruerso abhorret. Fatetur id ipse, quem David loquentem inducit, verbis: בְּלָא נִסְכִּים מִרְמָה Variae sunt interpretum de hisce verbis sententiae, sed istas omnes recensere non iuuat. Aliquas modo notatu digniores in medium producamus. Longius a vero aberrant LXX. interpretes, qui ea transferunt: εἰ μὴ συναγάγω τὰς συναγωγὰς ἀντῶν ἐξ ἀμικτῶν. Sed haec verbis textus plane sunt contraria. Non legimus δια cui congregandi significatus competit, sed γάρ quod fundendi notionem habet et libandi. Significatum hunc vestitum retinens coccivus o) Messiam perhibere putat, se non libare libamina horum propter sanguinem suum fusum, qui libamina omnia farcianescere. Declararet hac ratione persona loquens libamina Israëlitarum Mosaica neutiquam patri suo esie oblaturum, sed aliud

E

longe

n) vid. prou. XV, 13. psalm. CXXXVII, 3. lob. VIII, 28.
o) commentar. in h. l. p. 76.

longe praestantius vel etiam cultum umbraticum iam esse abrogatum. Vera quidem haec in se sunt, sed aliena a contextu, in quo auersionem suam ab omni alterius dei atque redemptoris cultu testatur Messias. His accedit, signa coniunctionum, quae accentus nominamus, vocalis his adposita, interpretationem hanc non admittere. Eodem fere credit expositio celeb. CARPO VII p.), qui dum exponit: Christus perhibet, *non ego effundam sanguinem meum pro illis, qui alium sectantur*, satisfactionem Christi pro *אַנְגָּلִים* finali verbis his negari, persuasum habet. Sed mihi quidem haec a verbis textus nimis recedere videntur. Non mentionem facit Messias sanguinis sui ab ipsis profusi, sed plurium libaminum sanguine constantium. Tribuit haec iis, qui alium praeter ipsum *וְתַּרְגֹּזֶה* sectantur, et horum esse libamina fatetur. Potiori itaque iure libamina intelligimus cruenta, ita ut מְרֻמָּה adfectionem libamina determinantem, pro ea, quae Ebraeis visitata est, loquendi ratione q). denotet. Sed his quid indicetur, res altioris est indaginis. Libamen quidem Israëlitarum vino constabat, quod holocausto, sacrificio item votivo atque spontaneae oblationis, nec non in festis in altari adfundebaratur, qui effusionis actus verbo קְרֵב denotatur. At quae libamina sint cruenta, nondum constat. Sunt quidem r), qui oblationes caedibus et rapinis partas istis significari putant, vti Habac. II, 12. illi dicuntur *aedificare urbem sanguine*, qui oppressione et damno miserorum materias aedificandarum domuum collegerunt s). Sed vates hic non inuehitur in homines crudeles et sanguinarios, super-

p) in illustrat. apologetic. peccati in spiritum sanctum atque incredulitatis finalis specim. VIII.

P. 193.

q) vid. psalm. LXXX, 14. Hos. VII. f. GLASSII philolog. sacr,

L. III, tract. I. canon. VIII. p. m.
572,

r) vid. ANDR. RIVETVS opp.
theologicor. tom. II. p. 48.

s) vid. et Mich. III, 10.

superstitiosam potius religionem damnat et vitiosam: in
veri autem dei cultu accidere quoque potuit, vt homi-
nes male parta Iehouae obtulerint. Alii existimant, liba-
mina sanguinum designare libationem sanguinis humani
inter gentes usurpatam et Israelitis non plane inusitatam,
dum homines diis immolabant. Sed particularia haec
vates non respexisse videtur, neque scopus illius permit-
tit hanc ad sanguinem humanum restrictionem, dum cul-
tum eorum peruersum, qui alium praeter Messiam salu-
tis auctorem quaerunt, perstringit. Alia itaque ratione
tractandus est locus. Quum libamen ex dei institutione
vino, quod sacrificiorum carni inspergebatur, constaret, ea,
ad quae alia fluida, fanguis praeferunt adhibebatur, li-
bamina deo erant inuisa. Iudeis inde gustus et libatio
sanguinis tam in vietu communi, quam in sacrificiis erat
vetitus. Sed plures in oriente gentes, idolatriae ope-
ram dantes, vino ad libamina adhibito sanguinem admisce-
bant, quod fluidum mixtum modo bibeant, modo facri-
ficiis adsundebant. Plura de hac re extant antiquiorum
scriptorum testimonia. TERTULLIANVS hunc ritum ex
parte describit t). Complura alia exempla in medium
producit celeb. IO. DAVID MICHAELIS v). Ad haec va-
tem respexisse, veritati maxime est consentaneum. Quum
itaque Messias profiteatur, se libamina hominum, ipsum,
vnicum salutis auctorem verumque deum, reiicientium non
libare, propria horum verborum si retineatur signifi-
catio, sensus foret, ipsum abstinere a gentilium et omnium
hominum deos alienos aut redemptores colentium libami-
nibus atque sacrificiis tanquam rebus abominandis, neque
villum dare consensus signum. Sed de libaminibus pro-
prie ita dictis sermonem esse, ego quidem non existimo.
Praeterquam enim quod contextus id haud commode per-

E 2 mittat,

t) in apologetico c. VIII.

v) in collegio critic, in h. psalm.
p. 108. seqq.

mittat, eiusmodi libamina effundere, sacerdotum tantum erat leuiticorum, qualis non erat Iesu e Iudea familia ortus. Sed quidquid Iesu Messiae agere non licebat, id non opus erat, eum se facturum negare, quia per se constabat, illum hoc non esse suscepturum. In aprico autem est oppositio sanctorum in terra, et eorum, qui alium sectantur deum aut seruatorem. Quum itaque Messias neget, se horum libamen esse libaturum, eum sanctorum libamen instituere, concludimus. Accedit, totam orationem de temporibus noui foederis valere, in qua visi scena figenda est. Respicit vates proxime ad Iudeos, licet non excludantur alii. Illi autem Christi tempore idolatriae et cruentis ethnicorum libaminibus non inhaerebant. Aliud quid his latere, inde hario lamur. Sacrificia, quibus et libamina adiungebantur, pars potior erant cultus Iudeorum non minus quam ethnicorum plerorumque. Synecdoche itaque adhibita totum cultum diuinum istis denotari, deprehendimus x). Quid? quod quum veteris testamenti sacrae typi essent cultus noui foederis, hunc ipsum sacrificii saepius significari, paginæ sacrae docent y). Libaminibus itaque numinis cultum repraesentari, hinc colligimus. Libamina cruenta erant vero deo inuisa. Cultus igitur diuinus isque peruersus commode illis denotari potuit. Dum autem Messias profitetur, se libamina sanguinolenta eorum, qui alium praeter ipsum sectantur, non libare, eo ipso indicare vult, se nullam habere communionem cum sacris horum hominum peruersa ratione institutis, tantum abesse, vt ista probet, vt eadem potius respuat, adeoque bonum ab ipso partum ad eosdem ita, vt illis prospicit, neutiquam spectare. Optime hoc modo omnia cohaerent et scopo vatis sunt conscientanea. Messias dixerat antea,

x) pf. IIII, 6. caet.

GLASSII philolog. sacr. L. V. tr. I.

y) vid. Ief. XVIII, 21. LVI, 7. LX, 7. i. Petr. II, 5. et confa.

c. XIII, p. m. 1889, seq.

antea, bonum suum sanctis et magnificis, qui eum unicam salutis suae causam atque redemptorem agnoscent, prodeesse, adeoque cultum horum sibi placere. Ab his progreditur ad impios se resquentes eorumque, alios salutis auctores quaerentium, cultum esse peruersum et sibi inuisum, verbis his luculenter testatur.

§. XIII.

Tandem Messias, ut eo clarius exponat, se a suis contemtoribus abhorrete, subiungit: בְּאַשְׁר שָׁפָת־הָיָה et non effera nomina eorum super labia mea. Plures quidem sunt z), qui suffixum, nomini מִתְמֻשָּׁה adiectum, ad deos alienos respicere et verbis his ad legem diuinam exod. XXIII, 13. exhibitat alludi, existimant. Illi itaque, quum nomina eorum, tum de vocabulis, quae idolis erant propria, quibusque ab aliis et inter se distinguebantur, tum de titulis atque elogiis, quibus prolixe ornabantur a suis cultoribus, exponant; sensum esse hunc volunt, Messiam declarare suam ab idolis his auerstationem, ita ut ab iis abstineat vel ore solo vel etiam opere colendis, neque vnuquam extollat aut praedicet ista. Sed longius haec aberrant a scopo vatis, miserum eorum, qui Messiam respiciunt, statum delineantis. Quae praecedunt suffixa eiusdem numeri et generis ad impios respiciunt. Adiectatum proinde foret, hoc ipsum, vocabulo מִתְמֻשָּׁה adiectum, ad aliud obiectum in textu non nominatum referre. Maiori iure effatum hoc de pessimis illis hominibus, qui alium praeter Messiam salutis auctorem sibi singunt, exponimus. Quid autem hac loquendi formula significatur,

E 3

tur,

z) vid. ANDR. RIVETVS opp. criticor. sacror. tom. III. p. 3656.
theol. tom. II. p. 46. IO. PISCATOR. commentator. in omnes V. T. libros tom. III. p. 132. VATABELVS annotatt. in psalm. quae exstant, seq. IO. MARCKIVS in exercitatu. bibl. p. 406. celeb. MICHAELIS l. c. p. 117. seq.

tur, iam disquirendum est. **S E B . S C H M I D I V S** a) intercessione Christi pro pessimis his hominibus oraculo hoc negari, sibi persuadet. Sed obstant alia loca, quae Christum pro impiis orare docent b), neque amor ipsius universalis id permittit. Verba praeterea textus de intercessione adhiberi, non inuenimus. Alii, quibus et cel. CARPOVIVS c) accedit, de iis, qui *ἀπίστα* finali Christum respouunt, hic agi, existimant. Quemadmodum itaque iste nomina eorum, qui fide finali ipsi adhaerent, coram patre suo et angelis dei confessurus sit d), ita vi oppositionis illos, qui *ἀπίστα* finali ipsum reiecerunt, commemoratione indignos esse iudicaturum, quando saluandorum numerum deo patri in extremo iudicio sit exhibitus e). Sed non constat, de finaliter tantum incredulis vatem loqui. Id enim neque e verbis textus, neque e vatis scopo elici potest. De iudicio quoque extremo sermonem esse, vix ac ne vix quidem euinci poterit. Alia proinde via incedendum est. Loquutio *non efferre nomen alicuius super ostensionis* proverbalis est, indicans, nihil commercii cum aliquo habere, ipsum summopere detestari et pro execrando atque abominando reputare, vt vel ex eius mentione labia sua polluere nolit. Illustrat hoc Paullus Ephes. V, 3. scribens: *scortatio et omnis impuritas aut auaritia ne nominetur inter vos*, et apoc. III, 16. dicit Christus: *se ipsum ex ore suo expuere*. Spectat huc quoque Matth. X, 33. vbi idem iste: *qui me, inquit, negauerit coram hominibus, eum negabo coram patre meo* f). Declarat hac ratione Messias extremam eorum, qui ipsum reiiciunt et alium sectantur, determinatio-

a) in resolut. psalm. propheticor.
de Christo adpend. p. 40. et 48.

b) Ies. LIII, 12. Luc. XXIII.
34. etc.

c) 1. c. p. 192.

d) Matth. X, 32. Luc. XII, 8.
Ebr. II, 13.

e) Matth. X, 33. Luc. XII, 9.
Marc. VIII, 38. Luc. VIII, 26.

f) conf. et ps. L, 16. lo. XVII, 9.

stationem, adeo ut nulla non modo ipsi cum iis intercedat communio, sed eosdem quoque pro exsecrandis habeat et abominandis, atque illos non suos esse poenis ostendat et malis ipsis influetis. Bene sic omnia cohaerent. Testatur Christus in antecedente propositione auerionem suam a cultu hominum horum peruerso, hic autem abominationem ab omnibus eorum actionibus, quid? quod ab illis ipsis eorum personis, eoque miserrimum eorum statum clarissime ob oculos ponit.

Sed pedem hic figo in exponendo hoc praeclarō scripturae sacrae, e qua omnia salutis dogmata petenda sunt, effato, et ad id progredior, cuius causa scriptio haec suscepta est.

Accidit diuini numinis prouidentia atque consilio, ut, postquam in academia Ienensi per plures annos studiosam ibi florentem iuuentutem docueram,

A SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

D O M I N O

F R I D E R I C O ,

M A R G G R A V I O B R A N D E N B U R G I C O , B O R V S S I A E A C
S I L E S I A E D V C E C a e t . B V R G G R A V I O N O R I M B E R G E N S I
C a e t . F V N D A T O R E E T N V T R I T O R E A C A D E M I A E H V I V S
M V N I F I C E N T I S S I M O ad publice tradendam in celeberrima hac musarum sede theologiam clementissime arcescerer. Voluntati et nutui dei per M V N I F I C E N T I S S I M U M H V N C P R I N C I P E M vocantis obtemperans graue hoc officium, diuino fretus auxilio, in me suscipio. Ante omnia vero mearum esse partium duco, post gratias supremo numini aetas, insignem S E R E N I S S I M I D V C I S clementiam publicis efferre laudibus. Per agam id proximo die veneris hor. XI-XII. in auditorio theologicō, praemissa oratione auspicali: *de cęgodoξia et cęgotorum necessariis in doctore ecclesiae requiatis.*

Hunc

Hunc igitur actum ut MAGNIFICVS ACADEMIAE
PRORECTOR, SACRI ROMANI IMPERII COMITES IL-
LUVSTRIS DOMINVS PROCANCEL-
LARIUS, PATRES ACADEMIAE VENERANDI, HOSPITES
OMNIVM ORDINVM HONORATISSIMI, GENEROSIS-
SIMI NOBILISSIMIQVE COMMILITIONES praesentia sua
honorifica splendidiorem reddere velint, ea, qua decet,
obseruantia et humanitate rogo obsecro.

P.P. Erlangae ipsis calendis Ianuarii

A. R. S. c10 10 cclxi.




Fd 3984



TA - DL

V317

W



Farbkarte #13

B.I.G.

Black

White


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



CTIONEM SIAE IVS CVLTORIBVS TAREM

XVI, v. 2 - 4.

INCIT

SIMVL

M AVSPICALEM

PAR EST

TQVE HUMANITATE

VITAT

AMVEL ZICKLER

PROF. PVBL. ORD.

NGAE

CI MICHAELIS CAMERARII

H. TYPogr,

E. I.